Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Venit itaque dies dominica in qua gaius episcopus
agens que dei sunt intra domum chromatii
omnibus congregatis hac eos voce alloquitur.
Dominus noster Ihesus Christus prescius fragilitatis hu-
mane duos in se credentibus constituit gra-
dus confessionis scilicet et martyrii. ut
hi qui martyrii pondus se posse sufferre de-
sperant, confessionis gratiam teneant. et dan-
tes locum bellantium Christi militum, qui pro eius no-
mine pugnaturi sunt sollicitudinem ge-
rant. Pergant itaque qui volunt una cum
filiis nostris chromatio et tyburtio. et
mecum in hac urbe qui voluerint ma-
neant. Non enim nos itinerum spacia divi-
dunt, quos Christi caritas nectit. nec absentiam
vestram sentiant oculi nostri. quia deintioris
hominis nos intuemur aspectu.

Hec et his similia dicente papa ga-
io. exclamavit tyburtius vir claris-
simus dicens. Obsecro te pater et episcoporum
episcope, ne me patiaris terga persequen-
tibus dare. Michi enim valde iocundum est et
optabile pro deo miles si possem occidi.
tantum ut illius vite dignitatem inveniam. quam
nullus mihi successor eripiat. Tunc sanctus pa-
pa congaudens fidei eius lacrimas effunde-
bat. orans ut omnes qui referant certaminis
victores existerent triumphum martyrii capi-
entes. Remanserunt autem cum venerabili pa-
pa hi. marcellianus et marcus simulque et pa-
ter eorum vir clarissimus tranquillinus. item
beatus sebastianus et pulcherrimus iuvenis.
sed mente pulchrior sanctus tyburtius. et nicos-
tratus ex primiscrinio cum fratre suo castorio. et cum
uxore zoe nomine. item claudius cum victo-
rino fratre suo. et filio simphoriano qui fuerat
a morbo ydropis liberatus. hi tantum. nam
universis cum chromatio proficiscentibus hi cum
gaio episcopo in urbe remanserunt. Qui sanctus episcopus
marcellianum et marcum diaconii hono-
re sanctificavit. tranquillinum vero patrem eorum
fecit presbyterum. sebastianum autem quia ad mul-
torum profectum sub specie militie latebat.
defensorem ecclesie instituit. ceteros vero sub-
diaconos fecit. Sed quia tunc nullus inveni-
ri poterat locus ad latebram fovendam. ma-
nebant omnes apud castulum quendam christia-
num zetarium palatii. Qui castulus ibidem
in palatio in superiori loco et valde altis-
simo commanebat. Ideo autem apta mansio
putabatur quia et ipse castulus cum suis
omnibus christianissimus erat. et lex illata de sacrifici-
is cum ubique sui fervorem deseviret in illis
qui palatio adherebant. quia nec suspicio
de eis esse poterat celabatur. Erant ergo ut dixi-
mus omnes hi morantes cum sancto papa gaio apud
castulum zetarium in ipsis superioribus palacii.
et die noctuque gemitibus ac fletibus et ieiu-
niis atque orationibus occupati exorabant
dominum ut digni haberentur tolerantia con-
fessionis eius. et innumero sanctorum martyrum sociari
mererentur. Ascendebant autem ad eos occul-
te religiosi viri religioseque femine. et
in peste constituti a sanctis diversas sibi gratias impe-
trantes. Nam et cecorum oculi illuminabantur
eorum precibus. et salvabantur infirmi. et ex ob-
sessis corporibus demonia expellebantur. In-
terea dum hec aguntur transiens beatus tybur-
tius occurrit homini qui de alto lapsus fuerat.
et caput et omnia membra quassaverat. ut et de
sola sepultura eius agerent hi quorum filius dice-
batur. Tunc dixit eis flentibus super corpus exani-
me. Permittite me precantare ei. forsitan
recuperat sanitatem. Cumque omnes dedissent
spacium. accessit iuxta eum et cepit dicere
super vulnera eius leniter orationem dominicam
et simbolum. et ita solidata sunt ossa eius et caput.
et omnia viscera. ut quasi nichil ei evenisset
ita factus est incolomis. Hec ita cum fecisset.
cepit ire. Tenebant autem eum parentes
illius quem sanaverat dicentes. Veni et habe
eum servum. et omnia bona nostra tibi tradimus cum
eo. quia ipsum unicum quem habemus iam mor-
tuum reddidisti vivum. Dicit eis beatus tibur-
tius. Si ea que dixero vobis feceritis. habe-
bitis magnipendenda mercede sanita-
tis huius. Dicunt ei parentes. Nos metip-
sos si servos habere digneris contraire
non possumus. quin immo et optamus si ipse iudi-
caveris aptum. Tunc apprehensa manu eorum
segregavit eos a turbis. et indicavit eis
virtutem nominis Christi. Et videns animum
eorum fixum fortiter in timore domini perduxit
eos ad papam et dixit. Age divine legis
antistes. ecce quos per me hodie lucratus est
Christus. in quibus fides mea velut arbuscula
novella primum prorupit in fructum. Tunc
sanctus gaius baptizavit iuvenem cum paren-
tibus suis. deo gratias referentem. Verum quia
multum est si velimus ista persequi que et quan-
ta per eos fecerit Christus. qualiter unusquisque ad
palmam martyrii pervenerit explicemus.